



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua  
etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani  
nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium  
Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XXX. De Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

ut in Proprio de Tempore: si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum propria adsunt; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ & Completorii (quando Capitula dicuntur) nunquam mutatur, ut in Psalterio.

III. In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, & in Ferijs temporis Paschalis, & in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus ad Tertiam, & in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.

IV. In Ferijs tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum *Regi seculorum*, sicut in Dominicis & Festis: Post Capitulum semper respondetur *DEO gratias. q.*

¶ Non autem in fine dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis*: quia nec *Iube Domine benedicere* præmittitur, quæ duo sunt correlativa, ut ait Gavantus hinc l. 5. c. 15. n. 7.

## TITULUS XXX.

### DE ORATIONE.

I. **O**ratio in Vesperis & Laudibus dicitur post Antiphonam ad *Magnificat*, & *Benedictus* immediate, nisi quando dicendæ sunt Preces, quæ dicuntur post Antiphonam, & in fine illarum Oratio. Ad primam & alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicendæ sint Preces, tunc enim Oratio dicitur post Preces. Ad Completorium dicitur Oratio post Antiphonam *Salva nos*, nisi dicendæ sint Preces, & tunc dicitur post illas.

II. Ad Primam & Completorium nunquam omittuntur Orationes, quæ habentur in Psalterio,

præterquam in triduo ante Pascha, in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive post Psalmum *Miserere* dicitur Oratio diei, ut suo loco ponitur. In alijs Horis regulariter dicitur Oratio, quæ dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor Temporibus, Vigilijs, & Feria secunda Rogationum Oratio, quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam, & Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si sit de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadragesima; vel Dominicæ præcedentis, ut in alijs Ferijs. *r.* Quæ Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in Feriali Officio per hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra Octavam dicitur Oratio, ut in die Festi: Similiter & in die Octava, nisi alia propria assignetur.

*R.* Id est, ijs, quæ in Quadragesima, non occurrunt.

III. Ante Orationem, etiam, quando aliquis solus recitat Officium, semper dicitur Versus *Dominus vobiscum*: Respondetur: *Et cum Spiritu tuo*: qui Versus non dicitur ab eo, qui non est in Ordine Diaconatus, nec à Diacono, præfente Sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus Ordinem non pervenerit, ejus loco dicitur: *Domine exaudi Orationem meam*: Respondetur: *Et clamor meus ad te veniat*. Deinde dicitur, *Oremus*, postea Oratio, quæ si unica tantùm dicatur, Versus *Dominus vobiscum*, vel, *Domine exaudi* repetitur finitâ Oratione, postquam fuerit responsum *Amen*. Sin autem plures Orationes dicendæ sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona & Versus, deinde *Oremus*. *s.* & post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum*: postea dicitur *Benedicamus Domino*, respondetur

detur *DEO gratias*. Deinde dicitur Versus *Fidelium animæ*, qui Versus non dicitur post *Benedicamus Domino*, ad Primam ante *Pretiosa*, neque ad Completorium ante Versum *Benedicat*, nec quando post aliquam Horam immediatè sequitur Officium parvum *B. Mariæ*, vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Pœnitentiales, vel solæ Litanïæ.

S. Unde Regula generalis est, ut, quotiescunque inter Orationes plures interponitur Antiphona, singulis vox *Oremus* præponatur, ut rursus invitatio fiat ad orandum; si vero nihil interponatur, ad solam primam Orationem ea vox dicatur.

IV. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur per *Dominum nostrum*: si ad Filium, *Qui vivis & regnas*: si in principio Orationis fiat mentio Filij, dicitur *Per eundem*: si in fine Orationis, *Qui tecum vivis & regnat*: si fiat mentio Spiritûs Sancti, dicitur *Unitate ejusdem Spiritûs Sancti*.

V. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantùm dicitur sub sua conclusione, *Per Dominum*, vel aliter *t.* ut suprâ: aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione, sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo alio modo, quàm ut suprâ *u.* Orationes dicuntur: item in Litanijis Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur.

T. Id est, per *Qui vivis*, aut *Qui tecum regnat*.

V. Intellige, sine *Oremus* cuilibet Orationi præmissio.

### TITULUS XXXI.

#### DE HYMNO TE DEVM.

I. **H**ymnus *Te DEVM* *x.* dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium, quàm novem

Lectio-